



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis**

**Véron, François**

**Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]**

9. De piorum librorum lectione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

audierint vel legerint commemoratio; de studiis quoque, & scientiis humanioribus collocutio; omnis denique sermo ex se bonus, ac ad maius bonum promouens.

---

PARS NONA.

*De piorum librorum lectione diebus praesertim festis, dominicisque usurpanda.*

**L**ibrorum sacrorum, piorumque lectio Dominicis praesertim, festisque diebus usurpanda est. Si enim externis occupationibus, ac negotiis, chartisque vel forensibus, vel domesticis, aut studiis prophanis integras hebdomadas damus, merito, dies festos Deo, & saluti animae nostrae dicatos, piis studiis, auditioni verbi DEI, & sacrae lectioni tribuere debemus. Nolumus hoc loco ingentes utilitates, quae eiusmodi sacrorum librorum lectionem consequuntur exponere; satis enim multi multa hac de re scripserunt, & quotidiana ipsa experientia plus satis id confirmat. Danda autem in primis est opera, ut non multa simul legantur, aut obiter percurrantur. 2. Ut quae lecta fuerint & notata, ad nos ipsos accomodemus, & ad salutem nostram referamus. 3. Vna dispicienda

*que obseruanda sine in piorum librorum lectione.*

L s dum

dum est, qua ratione suis temporibus et quoque possimus in aliorum utilitates conuertere. 4. Prodest non mediocriter, vt in aliquibus egregiis sententiis hæreamus diutius, & quæ lecta fuerint, expendamus, & rulinemus, ea vt oblectent magis, & benè comparato stomacho gratiora accidant. 5. Plus semper in lectione inquirendum, quòd mors nostros ad virtutem instruat, quàm quòd intellectum acuat ad disputandum, vel linguam expoliat ad eloquendum. 6. Lectionem debet præcedere & subsequi, immò nonnunquam comitari & interrumpere oratio, vt nimirum non tantum erudiat intellectus per lectionem, sed & inflammetur affectus per orationem.

---

### PARS DECIMA.

*De adhibenda diligentia in Sacrificio  
Missæ vel celebrando, vel  
audiendo.*

**P**ostremum Exercitium, quod diebus Dominicis & festis, nō postremò, sed primò, & principaliter Christianis omnibus, idque sub peccato mortali (ni legitima causa excuset) faciendum incumbit, est Sacrosancti, & augustissimi Missæ sacrificii.